1a

Quod Deus Bene Vertat!

De Incunabulis Philosophiæ, ejusdemq; ad nostram ætatem progressu,

DISSERTATIO POSTERIOR,

quam

Sub Præsidio

M. JOHANNIS SARTORII,

Gymn. Thorun. Prof. Publ. ac Visit.

publice tuebitur

MARTINUS CALIXTUS,

Michaël-Villensis Hungarus,

ad diem XX. Decembr. A. O. R. MDCXCI.

In Auditorio maximo, horis consvetis.

THORVNII, Formis Johannis Balth. Bresleri, *Gymn. Typogr.*

Bam

VIRIS

Nobilissimis, Spectabilibus atq ve Prudentissimis,

DN. JOHANNI KRÜGERO,

Inclyti Judicii Thorunensis Palæopol.

Scabino,

nec non Gymnasiii Patrii Scholarchæ dignissimo,

Patrono, Hospiti atq, Evergetæ, ob plurima beneficia in se collata, ad cineres devenerando.

ut &

DN. DANIELI CHRISTOPHORO JANIZEN,

Ejusdem Judicii Assessori, ac Veredorum Magistro florentissimo,

Fautori ac Studiorum suorum Promotori ætatem prosequendo,

es, qua clientem decet, observantis,

dissertationem hanc

modestissime nuncupat,

simul perennem prosperitatem sub finem exeuntis,
& auspicium incuntis Anni
apprecatur

Martinus Calixtus, Respondens.

In Nomine Jesu!

SUMMA DISSERTATIONIS.

Sectæ Platonicæ basiatores. §. 1. Secta Cynica unde dicta. *Antisthenes* quis. Ejus dogma & mores descripti. *Martialis* jocus in Cynicos. §. 2. Cynicorum cultus asper. Dicteria Poëtarum in barbas Cynicorum jaci solita. Scomma in Julianum Apostatam, barba Philosophica superbientem, ab Antiochenis dictum. §. 3. Pallium Cynicorum quale. Ejus discrimen a pallio Stoicorum ac Pythagoreorum. *Diogenes* δ. πλοείματος. *Octav. Ferrarius* laudatus. §. 4. *Herodis Attici* lepidus in Cynicum quendam sarcasmus. §. 5. *Crates Thebanus* Hipparchiam a sui amore abducens. Libelli a Cynicis gestati. *Lucianus* Cynicorum hyperaspistes. §. 6. Sectæ Stoicæ auctor quis. *Zenonis Cittici* dogma, mors, existimatio. Stoicorum asserta quæ. §. 7. Zenonis Successores. Stoicæ Philosophiæ magna apud Viros gravissimos auctoritas. An cum Christianis dogmatibus consentiat. Zenonis placita non æque ab omnibus Stoicis approbata. §. 8. Secta Pyrrhonica quæ. *H. Cornel. Agrippa*, & *Franciscus Sanchez* Sceptici. Atheismus Pyrrhonismi fomentum. §. 9. Sectæ Peripateticæ auctor *Aristoteles*. Ejus βιόγραφοι. *Licetus* notatus. *Aristotelis* vita, dogma, mors. *Platonis* laudes in eum congestæ. Libri Arist. Acroamatici & Exoterici. Idem Dialecticam primus in ordinem redegit. Quantum illius autoritati in Philosophia tribuendum. §. 10. *Theophrastus Eresius* quis. Aristotelis Successores ordine enumerati. §. 11. Bibliotheca Aristotelis ubi, & a quibus detenta. A quibus in lucem protracta. §. 12. Aristotelis Interpretes qui. *Alexandri Aphrodiensis*, & *Galeni* laus. §. 13. *Ammonius Alexandrinus Hermias* quis. *Simplicius* ac *Philoponus* laudati. §. 14. *Averroes* & *Avicenna* Interpretes. §. 15. *Scholastici* quotuplices. §. 16. *Sententionarii* qui. Eorum autor & basiatores. §. 17. *Quodlibetarii* unde dicti. §. 18. Philosophi *reales* qui, & quotuplices. §. 19. *Nominalium* autor *Occamus*. Hujus dogma. Inter *Nominales* ac *Reales* quæ simultates. §. 20. *Raimundus Lullius*. Philosophiæ nitor temporibus B. *Lutheri*. *Petrus Ramus* quis. Ejus molimina, Antagonistæ, mors. §. 21. *Theophrastus a Bombast* splendidus nugator. §. 22. χῆμα utriusque dissertationis. §. 23. *Eclectica* Philosophia qualis. Ejus assertores. *Cartesius* notatus. §. 24.

---

§. 1.

NEq; vero defuerũt Viri docti, qui longe post excessum Platonis, ejus dogmata amplecterentur, eam in rem *Platonici*, sed juniores appellati. Hos inter eminebant *Philo Judæus*, *Maximus Tyrius*, *Alcinous*, *Plotinus*, *Porphyrius*, *Jamblichus*, *Proclus*, *Gemisthus Pletho*, *Bessario Cardinalis*, *Marsilius Ficinus* &c. quorum vitas,

tas, dogmata ac scripta recensent *Vossius de Hist. Grec. & Lat.* B. *Quenstedtius de Patriis Illustr. Virorum. Lucas Holstenius in dissert. de Vita & Scriptis Porphyrii, annexa Enchiridio Epicteti. Jonsius de Script. Hist. Phil. Hanckius de Roman. Rerum Script. Lib. II. part. I. cap. VIII.* Hodie vero nullibi majorem Philosophiæ Platonicæ honorem, quam in Academiis Magnæ Britanniæ, deferri, autor est *Vossius de Script. Phil. cap. XVI.*

2. Sectam *Cynicam* primus excitavit *Antisthenes*, quam alii a Cynosarge seu Cynosargico, (Gymnasio Areopagensi, in quo docuere Cynici) alii, & quidem aptius, a canina impudentia seu mordacitate, qua in hominum mores nullo discrimine invehebantur, derivant. Erat Antisthenes, ut *Diog. Laertius* docet prodit, Socratis primum auditor, ad quem audiendum, quotidie Piræeo [portus hic fuit Athenarum, quadringentorum navium capax, od ostia Cephisi fluvii situs] iter quadraginta stadiorum emensus est. Socratis scholam egressus, ad moralem inprimis Philosophiam [naturalem enim scientiam, Musicen, Logicam, & Ἐγκυκλοπαιδείαν respuebant Cynici, teste *Laërtio Lib. VI*] animum applicuit, quam ita suos docuit, ut pudorem exuisse, Virtutis summam arbitraretur. Hinc barbam inprimis, eamq; prolixam ac horridam alere Sectarios suos, neq; alia supellectile instructos voluit, quam pera, baculo, & pallio detrito, quod Græci abollam nominant. Unde factum, ut vel ideo quoq; Cynici dicerentur, quod canum more ad sorditiem compositi, humi cubarent absq; culcitra & stragulis, eodem pallio involuti somnum capientes, quod gerebant interdiu: peram supponentes capiti, baculumqve manu tenentes. Facete profecto in Cynicos lusit *Martialis lib. 4. Epigr. 53. ad Cosmum:*

Hunc, quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Palladis, & templi limina, Phœbe, novi:

Cum

Cum baculo peraqve senem; cui cana putrisqve
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit:
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obvia turba cibos:
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa,
Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo? canis.

Antisthenis auditor fuit *Diogenes*, quem sequebantur *Onesicritus*, *Crates Thebanus*, & qui plures sunt hujus commatis.

3. Dum Cynicæ Philosophiæ Sectatores hic persequor; simul cultus ab iis neglecti, nec nisi in alenda barba, sumptoq; baculo, pallio ac pera, conspicui, mentionē ingero; veniam merebor, si de Cynicorum (quidni & reliquorum illius ætatis Philosophorum?) cultu, a quo non mediocrem suo qua ordini, qua dogmati reverentiam arcessebant, non inutilī ambage quædam protulero. Scilicet primum omnes Cynici *Barbam* alebant, eamq; horridam, (uti *Cic.* pro *M. Cœlio* loquitur) qualem Statuæ & imagines antiquæ ostendunt. Græcis vocabatur πώγων βαθὺς, *barba profunda*, quod profundius solito dimitteretur, & profundæ Sapientiæ argumentum esset. Vid. *Lucianus in dialog. mortuor. Charont. & Mercur. p. 240. & Sozom. lib. V. Hist. Eccl. cap. 19.* Nec Poëtæ *Barbam* hanc *Cynicam*, sine emphaticis dimittunt epithetis. *Juvenali* Sat. I. v. 25. & Sat. X. v. 220 *gravis* scribitur. *Damasippus* Horatianus Lib. II. Sat. III. v. 36 jubetur

— — *Sapientem pascere barbam.*

Quanquam non Cynicis modo, sed & *Stoicis* Philosophis id usu venerit. Huc facit jocus *Martialis* Poëtæ, *Libr. XI. Epigr.* 85. tonsorem imperitum, cui *Antiocho* nomen, falsē perstringēs:

Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
Collaqve pulverea nudet equina manu.

Ac tametsi *Stoicis*, teste *Flacco lib. I. Sat. 18. v. 6.* sit

Asperitas agrestis, & incomnina gravisqve,
Quæ se commendat tonsa cute;

tāmen hæc cutis videtur nōn fuisse menti, sed cāpitis, ut sensus sit, Stoicos a comis promissis abhorruisse, quod id muliebre & delicatum nimis esse existimarent. Alias Philosophi, inprimis Cynici ac Stoici, vulgo una cum barba comam etiam prolixam, sed incultam & sordidam [vide Epigramma *Martialis.* § 2 adscriptum] ostentabant, ut omnibus appareret, se, externo cultu neglecto, soli interno operam dare. Quo majorem proinde apud imperitum vulgus existimationem ac gloriolam quis captabat, tanto prolixiori barba tegebat pectus. Quare, cum *Julianus Apostata* a Christianis ad Gentiles transgressus, ut inter Philosophos (quorum numero cooptari volebat) maxime emineret, barbam præ cæteris prominentem aleret; Antiochenis occasionem præbuit in barbam ipsius, dicteria jactandi, cavillantibus *tondendam illam esse, & funes* (χοινίκια) *ex ea plectendos.* Nec hanc dicacitatem impunitam dimisisset, nisi a *Libanio* Philosopho, Philosophicæ patientiæ esset admonitus. Itaq; loco gladii, quem ante eum *Antoninus Caracalla* φιλοσκώμμονας *Alexandrinos* graviter multaverat, calamum cepit, & cavillationem cavillatione ulturus scripsit librum, quem vocavit *Antiochicum*, vel μισοπώγωνα λόγον, i. e. Sermonem de barbæ odio, quem librum κάλλιστον καὶ μάλα ἀστεῖον, *elegantissimum & maxime facetum* appellat *Sozom. lib. V. cap. 19.* vide etiam *Socratem lib. III. Hist. Eccl. cap. 17.* Quia autem pleriqve barbæ multum, sapientiæ parum habebant, hinc natum Proverbium: ἐκ πώγωνος σοφοί, vel, ἀπὸ πώγωνος φιλόσοφοι, i. e. barba tenus Sapientes. *Erasm. Chil. I. Cent. 2. adag. 95.*

4. Præter barbam *Pallio* inducbantur, quod vestimenti genus licet aliis etiam Græcis commune esset, [ut Toga Romanis] tamen eo maxime Philosophi, ac inter hos *Cynici*, gaudebant, & cum barba sua id conjungi volebant. Videntur autem hujusmodi pallia a cœteris immunditie ac vetustate distincta fuisse; ea de causa τρίβωνες & τριβώνια, i. e. pallia detrita

[quæ,

[quæ, ut loquitur *Euripides* apud *Athenæum lib. 10. Deipnos.* villosam lanuginem amisissent] appellata. Describit ejusmodi pallium lepide satis *Lucianus* in dicto *Dialogo* p. 218. *Senex*, inquit, *calvaster* τριβώνιον ἔχων πολύθυρον, *habens pallium multarum portarum*, i. e. lacerum, vento cuivis pervium, & diversorum pannorum assumentis variegatum. Et cum pallio hujusmodi *Stoici* quoq; ac *Pythagorei* uterentur, tum quidem *Cynici* in hoc a Stoicis ac Pythagoreis Philosophis abiere, quod alium tegendi velandique pectus ritum observarent. Quippe cum cœteri Philosophi extremam Pallii partem dextram in sinistrũ humerum ita rejicerent, ut sola manus extaret: Cynici totam Tribonii partem dexteram ita in sinistrum conjiciebant humerum, ut cum toto brachio dexter nudus exereretur, parte etiam pectoris renudata. Quod illi idcirco agebant, quia, ut doctis pridem observatum est, sine tunica incedebant, prorsusque erant ἀχίτωνες. Et istud quidem Tribonium duplicasse legitur *Diogenes* apud *Laërtium*, ad frigus arcendum, idq; consilio Præceptoris Antisthenis. Nam cum Diogenes ob intensum frigus tunicam, qua alias carebat, ab Antisthene peteret, hic loco tunicæ πτύξαι θοιμάτιον complicare seu duplicare jussit pallium. Quod, quomodo factum olim sit, in *Mantissa Philolog.* de Pallio, *pag. 130 Pallio Tertulliani* adjecta, pluribus ostenditur. Atq; ab hac pallii duplicatione διπλεάματος veteri Poëtæ appellatur *Diogenes*. Cynici istiusmodi duplici pallio involuti figuram exhibet, qui de Tribonio accuratorem scripsit, *Octav. Ferrarius de Re Vestiaria Parte II. lib. 4. cap. 14* seqq.

3. Hæc duo nimirum *Barba* ac *Pallium*, Cynicis instrumenta visa sunt, quibus vultu ad tristem severitatem composito, famam Philosophi a vulgo eblandirentur. A vulgo, inquam, non prudentioribus, quibus jam bilem, jam risum iste habitus expressit. In talium Prudentiorum numero, merito

rito reponendus est *Herodes Atticus*, Vir Consularis, ingenioq; amœno & Græca facundia celebris, ad quem (verba sunt *A. Gellii Noct. Attic. lib. IX. cap. 2*) *palliatus quispiam & crinitus, barbaque prope ad pubem usque porrecta venit, ac petiit* æs sibi dari *εἰς ἄρτους* ad parandum panem. *Tum Herodes interrogat*, quis Homo esset? *atque ille, vultu sonituque vocis objurgatorio.* Philosophum se esse dicit. *& mirari quoque addit, cur quærendum putasset, quod videret.* Video, *inquit*, barbam & pallium; philosophum nondum video. *Interim cum aliqui ex his, qui cum Herode erant, erraticum hominem esse dicerent & nulli rei, incolamque esse sordentium ganearum; ac, nisi accipiat quod petit, convicio turpi solitum incessere: ibi Herodes.* Demus, *inquit*, huic aliquid æris, cuicuimodi est; tanquam homines, non tanquam homini, *& jussit dari pretium panis triginta dierum.* Unde omnino recte *Arrianus in Epictet. lib. IV. cap. 8.* ridet argutatores, qui ita concludunt: *Hic Philosophus est. Quare? quia pallium habet & comam.*

6. Sed & præter Barbam ac Pallium, accedebat *Pera* & *Baculus.* Unde cum *Hipparchia*, nullo procorum ambitu, non opibus, non nobilitate ab intempestivo amore *Cratetis Thebani*, Philosophi Cynici, abstrahi posset, rogatus hic a puellæ parentibus, ut illam a proposito averteret: postquam ægrotum puellæ animum mitigare non posset, exurgens omni sua supellectile, *Baculo* nempe & *Pera*, illius oculis exposita. *Hic Sponsus, hæc omnis ejus possessio*, dixisse legitur apud *Diog. Laërtium.* Illud, quod adeo non ubiq; obvium, notatu haut indignum est. *Libellos* etiam, procul dubio præcepta Philosophiæ continentes, a Cynicis, manu, & ea sinistra quidem, gestatos fuisse. Quod iterum *Lucianus*, nimius Philosophorum hyperaspistes, sibi observatum nobiscum communicat in *his accusato*, pag. 311. *At nunc*, scribit, *quantum ubique palliatorum, baculorum, perarum? ut ubique promissa barba*, libellus in sinistra &c.

7. Jam vero, ut e diverticulo in viam regrediar, ab

hac

hac ipsa Secta Cynica, duæ sequentes, *Stoica* scilicet & *Pyrrhonica*, fluxerunt. Et ad *Stoicam* quidem quantum attinet, tribuendi sunt ejus natales *Zenoni Cittico*, [Citio, Cypri oppido, unde Zeno etiam Cyprius dictus, oriundo] Cratetis discipulo. Hic, quod Athenis in Stoa h. e. porticu, ubi deambulare est solitus, auditores suos doceret, Sectæ nomen conciliavit. Dogmata ejus fuere inprimis sequentia. Τὰ ἐγκύκλια μαθήματα [quo nomine *variam Eruditionem*, Philologiam puta, Mathesin, ac Logicam complectitur *Vossius de Philol. lib. I. cap. 3.*] insuper habuit, uti colligere est e Stoicæ Sectæ asseclis *Seneca Ep. 88. & lib. de brevit. vitæ cap. 14.* Quanquam Senecæ mentem excusat *Vossius l. c. pag. 6.* Summum bonum in vita rectæ rationi conformi, seu, in habitu potius, quam actione virtutis collocabat: cui sententiæ Successores ejus adeo mordicus inhærebāt, ut vel mediis in tormentis, hominem virtute præditum, beatū dicerent. Unum esse Deum agnovit, cujus plures virtutes plura nomina indigitarent. Affectus animo eliminavit, ceu natura malos; animum hominis omni perturbatione immunem esse debere contendens. Mundum, quemadmodum fato regi opinatus est; ita eadem fatali naturæ necessitate, (adeoq; non ex arbitrio Dei) finitis Anni Magni spaciis, cum videlicet ebibiti tandem a stellis per tot seculorum spacia humores obsequentem ignibus silvam reliquerint, exarsurum; & in hoc ipsas animas, genios, deosq; minores conversum iri docuit: nec in nihilum tamen, sed in principia sua, spiritus in deum, corpora in materiam: idq; eo quidem fine atq; exitu, ut Phœnicis instar, (verba sunt *Cl. Thomasii* in erudita dissertatione *de Stoica Mundi Exustione p. 12*) quam fabulosam avem dicas in hujus præcipue commenti symbolum excogitatam esse, Mundus idem numero, qui ante, (nisi quod de animabus res ambigua) de favillis iterum progerminet, eademq; fabula porro circulatoriis vicibus in omnem æternitatem repetatur. In quem quidem

dem errorem ut abriperetur Zeno, causa hæc erat, quod idem Deo coæternam, eamqve increatam apponeret materiam, ut hæc duo quasi conglutinarentur Fato; prorsus eum in modum, quo anima conglutinatur corpori. Fato igitur (quod illi visum) natus mundus, dum Deus subjectam sibi materiam paulatim elaborat, denasci quoq; fato debuit, & in eum statum remigrare, quem habuisset ante nativitatem, in quo scilicet præter Deum & materiam nihil esset reliqui. Adhæc ἀνυπαξίαν non tantum asseruit, sed suo quoq; exemplo confirmavit. Cum enim forte fortuna Schola redux, in obvium lapidem offenderet, ac in terram effunderetur, hanc ipsam manu feriens; *En adsum*, inquit, *quid me, quæso, vocas?* statimqve vitam sibimetipsi eripuit, ætatis annum agens secundum & septuagesimum. Factum id A. U. C. 490. Olymp. 129. tanto cæteroquin apud Athenienses in honore habitus, ut *Laërtio* teste *in ejus vita*, claves Urbis apud eum deponerent, adhæc aureo torque & imagine ex ære conflata eundem ornarent.

8. Nactus hic est Successores, & fama & doctrina longe clarissimos. Quales sunt *Cleanthes Assius*, [ab Asso Lyciæ civitate sic dictus; Zenonis tam gnavus auditor, ut ejus præcepta ossibus boum testisq; fictilibus inscriberet, quod ære ad coemendas tabellas destitueretur] *Chrysippus*, (in Dialectica adeo clarus, ut proverbium de eo extaret; *Si apud deos Dialectica haberetur, non aliam esse futuram, quam Chrysippi.* Vid. *Val. Max. lib. 8. cap. 7.*) *Diogenes Babylonius*, *Antipater*, *Panætius*, *Posidonius*. Quos secuti sunt e Romanis, *Tubero*, *Cato Uticensis*, *Varro*, *Thraseas Pætus*, *Helvidius Priscus*, *Rubellius Plautus*, *Seneca*, ac longe plures alii. Certe, vel gravissimis Viris tantopere Secta hæc complacuit, ut eam certatim amplecterentur, cum nulla magis visa sit formare animum ad contemptum rerum humanarum, & patientiam in adversis exercendam. Unde *Seneca Epist. 88* vocat *fortissimam & sanctissimam*, imo *lib. 1. de Constant. Sap.* his verbis ordi-

tur,

tur, *Tantum inter Stoicos, & cæteros Sapientiam profeſſos intereſſe, quantum inter fœminas & mares.* Nec gentilium duntaxat, ſed & Chriſtianorum quorundam animos hæc Secta occupavit, ut Stoicos cum Chriſtianis dogmatibus plane conſentire, adeoq; his conciliandos arbitrarentur. Perſtrinxit hoc nomine e Patribus *Clementem Alexandrinum*; e recentioribus Chriſtianis *Raphaëlem Regium, Jacobum Pamelium*, atq; inprimis *Juſtum Lipſium*, Vir Doctiſſimus *Jac. Thomaſius p. 8. diſſert.* ante laudatæ. Illud tamen addere liceat, Zenonis dogmata non æque a Stoicis omnibus, ſaltem ſequioris ævi, propagata atq; defenſa fuiſſe. Quippe exuſtionem Mundi, de qua paulo ante dictum, a Zenone, Cleanthe atq; Chryſippo aſſertam, negarunt diſerte *Boethus, Poſidonius, Panætius, Diogenes Babylonius, Zeno Sidonius.* Adi Lipſium *11. Phyſiol. Stoic. 23. p. 112.* Calixtum *de ſupr. Jud. p. 136.* Voſſium *theſ. theol. p. 257.* Gaſſendum *Tom. I. Opp. f. 174.* Spizelium *de re lit. Sinenſ. ſect. XI. p. 210.* Communiter tamen Stoicis tribuunt dogma de mundi in ignem reſolutione Athenagoras, Juſtinus, Numenius. Vid. *Auguſt. Steuch. Eugub. X. de perenn. Philoſ. 28. p. 706. Calixt. d. l. pag. 135.* Qui pluribus Stoicam Philoſophiam noſſe cupit, adeat *Epicteti libellum, cum ſcholiis Simplicii, & copioſioribus Græcis Arriani. Juſt. Lipſ. de Manuductione Stoica*; & *Caſp. Scioppium in Elementis Phil. Moralis Stoicæ.*

9. *Pyrrhonica* Secta a *Pyrrhone*, cui Patria Eleus, ortum trahit, qui vixit circa tempora Epicuri ac Theophraſti, Olymp. 110. Ejus præcipuum dogma fuit, de omnibus rebus dubitandum eſſe, nec uſla de re, niſi ex præjudiciis judicari poſſe. Videantur de ejus dogmatibus, *Diog. Laërtius in vita Pyrrhonis lib. IX. Voſſius de Sect. Phil. c. XX.* & inprimis *Sextus Empiricus Lib. I. Hypotypoſ. Pyrrhoniarum cap. 14.* Unde, qui Sectæ huic nomen dederunt, præter Pyrrhonios *Sceptici* dicti ſunt, quia ſemper σκέπτονται, h. e. rem conſiderant, nec unquam decernunt. Item Ἀπορητικοὶ, nam ſemper ἀπορεῖν, h. e. dubitant.

Item Ζητητικοὶ, quod semper ζητῶσι, quærunt, nec reperiunt. Denique Ἐφεκτικοὶ, quia longæ inquisitionis non alius eventus, quam ἐποχή, h. e. judicii suspensio, sive assensus retentio. Basiatores sua ætate non ita plures reperit, nisi quod inficeto huic seculo viam sternere ad Atheismum & Scepticismum visa sit. Cooptari profecto in Pyrrhoniorum censum meretur, e recentioribus *Henricus Cornelius Agrippa*, cujus liber, seu ingenii ostentandi, seu lusus gratia, seu voluntate seria conscriptus, *de Vanitate & Incertitudine Scientiarum*, id sibi negotii solum dari voluit, ut omni scientia negata atq; disciplinis derogata, *NIHIL SCIRI POSSE* ostenderet. Omnium vero σκεπτικώτατος est *Franciscus Sanchez*, Med. Doctor, & in Acad. Tolosona Professor Regius, qui edito libello, cujus titulus *Nihil Scitur*, facem ac tubam se exhibuit infamis Scepticismi. Nec immerito ad hanc tribum remittendi sunt ii, qui novaturiendi pruritu correpti, plenis velis remisq; Atheismum inducere, & vulgatis in lucem publicam scriptis, hunc ipsum obtrudere nobis sunt anniti: quales egregios, si diis placet, fœtus enixi sunt *Isaacus Peirerius*, *Thomas Campanella*, *Thomas Brounius*, (autor Scripti, quod *Religio Medici* appellari consuevit) *Julius Cæsar Vaninus*, & quæ plura sunt ingenia male feriata, adversus quæ non minus pie quam erudite calamum strinxerunt B. Dn. D. Tobias Wagnerus *in Exam. Elencht. Atheis. spec. pag. 10.* B. Müllerus, Senior Hamburg. *in Atheism. devicto a p. 19. ad 35.* Dn. D. Joh. Ad. Osiander *tract. de Deo in lum. nat. repr. Exerc. V. th. 3. & 4.* quos vide.

10. Veniendum jam est ad Peripateticos, quibus facem prætulit *Aristoteles*, Nicomachi & Phæstidis Filius, Patria Stagirites, natus Olymp. 99. A. U. C. 370. Scripserunt vitam ejus complures, qua e veteribus, [quorum duntaxat fragmenta supperunt apud *Laërtium*, *Philostratum*, *Eunapium*, *Hesychium*, & *Suidam*: ut sunt *Aristoxenus*, auditor ejusdem Aristotelis, *Hermippus*, *Timotheus Athenienſis*, *Apollodorus*, *Aristocles Messenius* &c.]

qua

qua e recentioribus. Et utrisq; βιοχαρόεις quidem præstare videtur *Ammonius* sive *Johannes Philoponus*, ex vetere translatione, cum *Petri Johannis Nunnesii* locupletissimis & doctissimis Scholiis, Amstelodami primum, post Helmestadii editus. Quo magis obscurum est, de ejus vita & moribus quidquam liquido asserere, cum nec desint, qui Aristotelem summis laudibus evehant; nec vicissim, qui eidem ex vero contradixisse aliis visi sint. Nescio tamen, num e basiatoribus Aristotelis *Fortunio Liceto* tantum tribuendum sit, ut, quem *de Salute Animæ Aristotelis* vulgavit, libello calculum adjicere debeant Eruditi, saltem quos Numinis verecundior metus incessit. Notavit hanc temeritatem *Christ. Schotanus*, edito adversus Licetum scripto, cui nomen *Ethnicismus Aristotelis*: ut de *Petro Ramo*, viro cæteroquin doctissimo, *Sebastiano Bassone*, *Gerardo & Arnoldo Botiis*, *Claudio Berigardo*, & *Petro Gassendo*. Aristotelem passim observantibus, nihil jam dicam. Certiora, quæ de illius vita, ac dogmate inprimis, dici possunt, habentur ista. Erat Platonis, cujus Scholæ viginti annos interfuerat, [quod enim *Ammonius* censet eum Socrati tribus annis adhæsisse, id falsum esse ostendit *Nunnesius loc. cit. p. 39.* Item *Leonardus Aretinus lib. VI. Epist.* & *Octav. Ferrarius lib. ult. de Sermonibus Exoter.*] discipulus, Præceptori tantopere adamatus, ut, si forte lectionibus suis non adesset, licet frequentissimo alias uteretur auditorio, in hæc verba erumperet: Ἀπέστιν ὁ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος, *Abest Veritatis Philosophus.* Eodem absente, audiebantur & hæ querelæ: ὁ νῶς οὐκ ἦλθεν, *Intellectus non advenit*: quemadmodum splendida hæc elogia a Præceptore discipulo tributa leguntur apud *Cæl. Rhodig. lib. 29. cap. 8.* Antequam Platonis Academiam salutaret, doctrinam Eloquentiæ (verius, doctrinam Ingenuorum, sub qua Veteres Philosophi complectebantur quatuor artes populares, Philologiam & Scientias Mathematicas) docebatur, ut declarant Homerica commenta ab eo scripta, & Iliadis

dictamen, quod dedit Alexandro, dialogus item de Poëtis, & tractatus de Poëtica ac Rhetorica. E Schola Platonis digressus in Lyceo docuit, quod secundum quosdam celeberrimum erat juxta Athenas Gymnasium, a Pisistrato vel Pericle exstructum; secundum *Pausaniam* vero in *Atticis*; Templum Apollinis, a Lyco Pandionis Filio excitatum. In quo quidem ambulans docebat, teste *Cic. lib. 1. Acad. Quæst.* unde factum, ut qui dogmata ejus sequuti essent, Peripatetici audirent. Quo autem felicius Auditores suos instrueret, non tantum more a Pythagora usurpato, discrimen inter discipulos ἀκουσμαϊκοὺς vel rudiores ac proletarios, & μαθηματικοὺς sive accuratioris doctrinæ capaces, qui velut intimioris admissionis essent, servavit; illis pomeridianas, his matutinas horas attribuens: verum etiam duplicem res tractandi ac docendi modum tenuit, quorũ alio παχυλῶς, λογικῶς καὶ κατὰ δόξαν, i. e. partim ex communibus principiis, partim ex hominum opinionibus, res exponeret; alio πραγματικῶς καὶ ἐπιστημονικῶς i. e. ἐκ οἰκείων seu vernaculis & propriis principiis res deduceret & demonstraret. Unde & natum nobile illud discrimen inter libros Acroamaticos sive Epistemonicos, & Exotericos sive Doxasticos; in quorum illis res limatius & ex principiis suis declarantur; in his eædem populariter, & ut hominum opinionibus consentaneæ sunt, docentur. Nullibi autem luculentius ingenii acrimoniam judiciiq; ἀκρίβειαν approbavit, quam in disponendis singulis disciplinarum partibus. Hac enim pulchra ordinis concinnitate non solum superiorum temporum Philosophos, sed & ipsos Præceptores suos superavit. Nam & Dialecticam facultatem primus ipse in methodum redegit; & singulis disciplinis sua κεφάλαια attribuit; modos demonstrandi varios ostendit; deniq; ordinem integra disciplinarum systemata apte & ad faciliorem discentium perceptionem redigendi disposuit; ac methodum, singulas partes syllogistice probandi scite proposuit.

posuit. Sane factum inde, ut ab Alexandro reprehenderetur, quod libros ἀκροαματικοὺς vulgasset, quos sibi soli servandos, nec promiscua lectione vilihabendos esse censebat Rex, non minus literariæ, quam militaris gloriæ avidissimus. Cui ob id satis perite responsum ab Aristotele, eos esse pariter editos a se, & non editos, quod in illorum duntaxat intelligentiam caderent, qui sese essent audituri, i. e. admissione intra sindonem, ut ad Pythagoricum morem sic loqui liceat, & subtilioris ac limatioris Philosophiæ suæ accuratiore interpretatione essent gavisuri, quod *Gellius lib. 20. cap. 5. & Themistius Proœm. ad lib. I. Phys.* memoriæ prodidere. Cœterum quo felicius in Acroamaticis philosopharetur, ad solius Animalium Historiæ descriptionem octingenta ei talenta Alexander contulerat, teste *Athenæo lib. 9.* quæ summa est pecuniæ nostræ, quadringenta & octuaginta millia coronatorum. Alia, quæ vel in laudem ipsius, vel in vituperium afferri solent, sponte prætereo. Istud diffitendum minime est, eum Eruditorum puncta jam pridem tulisse: nisi quod singulis ejus dogmatibus, inprimis Physicis, non ita promiscue calculum adjiciant. Atq; ut sublime tanti Philosophi ingenium merito omnes venerantur; ita is neutiquam arrogans dicendus est, cui istud de Aristotele αὐτὸς ἔφα plane displicet. Digna sunt verba judiciosissimi Theologi, *Dn. D. Danhaweri*, quæ huc apponantur, quibus ille multa quidem Aristoteli, sed non omnia defert. Nam dum *pag. 6. Id. B. Disp.* FELICEM ILLUM diem PRÆDICAT, QUO ARISTOTELIS ORGANUM AD MANUS SUMSIT, paucis lineis interjectis sequentia subnectit, INTERIM QUOD NON FACERE POSSIM CUM IIS, QUI TANTUM NON PRO PRINCIPIO PHILOSOPHIÆ ARISTOTELEM AGNOSCUNT, QUOD OMNIA EXACTISSIME ITA ABSOLVERIT, UT NULLIUS HOMINIS ULTERIORI COGITATIONI ALIQUID RELIQUI FECERIT, OBSTAT Senecæ JUDICIUM lib. 7. nat. hist. cap. 31. pusilla, ajentis, res mundus esset, nisi in illo, quod quæreret,

reret, universus mundus haberet. Nondum veritas occupata, multum etiam futuris relictum est. *NEQVE TVTO, SI VEL REDIVIVVS IPSE REDIRET, ÆGRE SE LATVRVM EORVM INSTITVTA, QVI PHILOSOPHIÆ AB IPSO PRIMITVS EXCVLTÆ LIMITES PROFERRE CONANTVR.* Plura hujusmodi afferri possent, a Viris Aristotelicæ philosophiæ cœtera addictissimis, puta *Joh. Zeisoldo, Henrico Julio Scheurl*, & *Jacobo Thomasio*, prolata, si res exigeret. Conf. omnino *Johannes Christophorus Sturmius in Philos. Eclect.* pag. 7. seqq. Ad mortem ejus quod attinet, ferunt mortuum esse anno ætatis climacterico magno; morbo, an animi dolore, quod Euripi Chalcidensis naturam explorare haut posset, (nam dolore eum obiisse, quia propositum sibi a piscatoribus ænigma solvere non poterat, fabulosum est) non liquet: cum alii quidem asserant ipsum morti vicinum, primæ causæ misericordiam intentius imploraſſe, & exclamasse; *O Ens Entium miserere mei!* alii rursus referant, quod se præcipitem in mare dederit, cum hoc apophtegmate: *Quoniam Euripum non capit Aristoteles, capiat Aristotelem Euripus.*

11. Successit Aristoteli *Theophrastus Eresius*, Melanti Fullonis Filius, ex Eraſſo Lesbi oppido oriundus, sic vocatus ob vocis & Eloquentiæ suavitatem quasi divinam, qvum antea Tyrtamus vocaretur, teste *Diog. Laërtio, Hesychio, Suida*, & aliis. Atq; is ipse est Theophrastus, qui moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisse: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus omniq; doctrina hominum vita erudiretur. Huic Aristoteles cum docendi provincia, Bibliothecam omnem testamento reliquit, perhibente *Strabone lib. XIII.* Geograph. Ad cujus ἐκροάσεις confluxerunt circiter bis mille Auditores, ut citati *Laertius* & *Hesychius* testantur. Et is quidem plurima scripta Organica,

gahica, Physica, & Moralia adornavit, pauca tamen ad nos pervenerunt, quæ inter Plantarum Historia, a *Theodoro Gaza* in linguam latinam conversa; & Characteres Morales *Isaaci Casauboni* Commentationibus illustres. Istum ex ordine sequuti sunt *Strabo Lampsacenus*, ob insignem Physices cognitionem *Physici* cognomen meritus, *Praxiteles, Lyco, Aristo Cous, Lyciscus, Praxiphanes, Prytanis, Phormio, Critolaus:* quem numerū Successorum Aristotelis ex vita quadam Aristotelis antiquitus descripta in lucem prodiit *Octav. Ferrar. lib. de Serm. exot. p. 24 25.* addens memoratis novem, decimum, *Diodorum* puta, juxta Cic. & Clementis Alex. sententiam. Quibus merito accensendus est *Andronicus Rhodius*, quem exactum diligentemq; Aristotelis librorum & Judicem & Repertorem judicavit antiquitas, ut scribit *Boëth. in Proœm. lib de Interpret.*

12. Medio tempore, Aristotelis bibliotheca (quam Theophrastus *Neleo* legaverat) Scepsin (urbem Mysiæ in Asia, dictam a σκήψις, quod ibi Rhea pro Filio lapidem peperit) translata, in manus imperitorum hominum incidebat, a quibus clausa ac negligenter habita tenebatur. Post etiam, metu, ne ab Attalicis Regibus, quibus illa urbs parebat, ad instruendam Pergami Bibliothecam auferretur, sub terra in fossa occultabatur, a blattis & humore non parum corrupta. Qvum itaq; libri isti aliquandiu cum tineis & situ luctati essent, in lucem denuo emersere, opera & studio *Apellicontis Teji*, qui corrosionibus manum medicam admoturus, morbum ipsa curatione incendit, nec lacunas recte implevit, & libros Aristotelicos pluribus scatentes mendis edidit. Eo defuncto, Sulla, postquam Athenas in potestatem redegit, Bibliothecam istam transtulit Romam, ubi *Andronicus Rhodius* ea, quæ circumferuntur, volumina (tempore scilicet Trajani Imperatoris) edidit, sicut ista referunt *Strabo lib. 13. Geogr.* & *Plutarchus in Sulla.*

13. Ab illo tempore Interpretes varii laborarunt, ut scripta Aristotelis a quisquiliis purgarent, & majorem in dies splendorem compararent, donec tandem vitam veluti atqve incolumitatem, ipsumq; cum sanguine calorem redderet Aristoteli *Alexander Aphrodisiensis*, ex Aphrodisiade Cariæ urbe oriundus, qui *Sec. post C. N. III.* imperante Antonino, scriptis in omnes Aristotelis libros luculentissimis commentariis, eam nominis famam sibi comparavit, ut ἐξηγητὴς nomine κατ' ἐξοχὴν passim celebraretur, & nemo olim Aristotelicus haberetur, qui non esset Alexandreus. Hujus vestigiis institit *Galenus* Medicus, σύγχρονος Alexandri, ob singularem doctrinam, Eruditionis latifundium, Oceanus disciplinarum, omniumqve ingenuarum artium commune quasi receptaculu *Heinsio Orat. pag. 98.* aliis ἀνάχ. *Angelus* dictus. Hic totam medendi artem fundamento Aristotelicæ Philosophiæ superstruxit, ut testatur *Conringius Introduct. in Nat. Phil cap. XI. n. 17.* a Bonamico & Piccarto unus omnium dignus habitus, qui cum Aristotele in methodi artificio conferri posset. Eodem Seculo emicuit *Porphyrius* Jamblichi præceptor, Christianæ relligionis desertor & apostata, Sectæ alias Platonicæ addictus, Aristotelicæ nihilominus multum favens, cujus extat libellus περὶ πέντε φωνῶν. Sequenti *Seculo IV. Themistius* elucubratis doctissimis paraphrasibus in Aristotelis Organon, libros Physicos & Metaphysicos, inclaruit.

14. Desinente *Seculo IV.* etsi non eviluit Philosophia Aristotelica, monumentorum tamen, quæ quidem ad nos pervenerunt, sterilior fuit. *Seculo* autem *VI.* innotuit *Ammonius Alexandrinus Hermiæ.* (alius plane ab *Ammonio Sacco*, qui erat Plotini & Origenis præceptor, trecentis & viginti septem annis istum antegressus) cujus extant eruditissimi commentarii in lib. de Interpret. Hujus informatione usi sunt *Simplicius* & *Philoponus*, quorum ille laudabilem operam præstitit in exponendis

scriptis

scriptis Aristotelis Organicis & Physicis: hic vero in elucubrandis super eosdem libros commentariis nihil est desiderari passus, quo nominis sui omini ad amussim responderet.

15. Post illa tempora studia Philosophiæ in Græcia, partim, partim in Italia nonnihil a Barbarie Muhammedanica suppressa sunt, donec vicissim caput erigerent apud Saracenos & Arabes *Sec. X.* præcipue opera *Bardæ*, qui tutor erat Imperatoris Michaëlis, Filii Theophili, ut autor est *Zonaras Tom. 8. Annal.* Claruerunt ea ætate inprimis *Averroes* (*a*) & *Avicenna*, (*b*) quorum postea scripta simul cum Aristotele, auspiciis Friderici II. Imp. *Sec. XIII.* ex Asia in Europam translata, & ex Arabica in Latinam linguam conversa, hodieq; Eruditorum manibus teruntur.

16. Tum vero *Seculo XII.* Philosophia Aristotelica, variis implicita tricis fuit, quam sic intricarunt olim Scholastici, a Schola, in qua docebant, ita dicti. Hi in quatuor classes abeunt, & alii quidem *Sententionarii*; alii *Quodlibetarii*; alii *Reales*, (qui vicissim vel *Albertistæ* sunt, vel *Thomistæ*, vel *Scotistæ*, vel *Summulistæ*) alii deniq; *Nominales* seu *Occamistæ* nominantur, de quibus sigillatim, sed breviter.

17. Primi inter eos sunt *Sententionarii*, acutissimi olim habiti, quæstionum, distinctionum, & problematū in utramqve partem, disputatores & autores. Horum Pater *Petrus* fuit *Lombardus*, Episcopus Parisiensis, qui circa A. C. 1160 quatuor libros ex collectis hinc inde Patrum Latinorum, inprimis Augustini, sententiis confecit, tanto quidem suorum cum applausu, ut tota Schola Theologorum suum illum Magistrum agnosceret; unde & *Sententiarum Magister* dici solet. Notatqve *Gesnerus in Bibliotheca sua*, citante *B. Carpzov in Isag. Libr. Symb. p. 388.* suo tempore 300 extitisse Autores, qui in Lombardum commentarios scripsissent. Hunc secuti sunt

(*a*) Gente Arabs, sed nominis celebritatem Cordubæ in Hispania indeptus.
(*b*) Uzir Regis Persarum honoratior Secretarius.

Gratianus, (*Petri Lombardi* ac *Petri Comestoris* Frater vulgo habit⁹, quæ tamen sententia majori eget fundamento, vid. *Bellarm. de Script. Eccles. pag. 188*) cujus Rhapsodia Decretorum in frequenti usu est, & approbationē meruit summi Pontificis, atq; inter libros Juris Canonici habetur optima. *Petrus Comestor*, Historiæ Scholasticæ conditor, a comedendo sic nominatus, quod dicta biblica ita memoriter recitaret, quasi in ventrem memoriæ esu comedisset. Ac tandem *Alexander ab Ales*, Doctor irrefragabilis a suis dictus.

18. *Quodlibetarii* a barbaro ac plane novo vocabulo sic dicti, alterutram quæstionis partem adversario libere reliquerunt oppugnandam, vel propugnandam, sine decisione ulla. Fluxit hæc secta e priori, cum enim Sententionarii certæ Sententiæ, plerumq; absurdæ, mordicus inhærerent; alii vicissim sive pertæsi obtrusæ sententiæ, sive pruritu altercandi illecti, a Sententionariis recesserunt, & mox in hanc, mox in istam sententiam inclinaverunt. Atq; huic quidem sectæ se associarunt *Gualtherus*, *Episcopus Pictavienſis*, Minorita, *Henricus de Gandavo*, & alii.

19. Præter Sententionarios & Quodlibetarios, alia Philosophantium secta prodiit, quæ *Realis* dicebatur. Nomen sectæ impositum est, quod vel Universalia, h.e. conceptus a singularibus præcisos reales diceret; vel quod scientiam non nominum nudorum, sed ipsarum rerum sibi vendicaret. Hinc ejus Sectarii *Reales Philosophi* appellati sunt, qui ut supra dictū, vel Albertistæ, vel Thomistæ, vel Scotistæ, vel Summulistæ nominabantur. *Albertistarum* Dux ac Coryphæus erat *Albertus*, Patria Suevus, Episcopus Ratisbonensis, florens *Sec. XIII.* ob admirandam eruditionem *Magnus* & Div⁹ dictus. *Thomista* nomen sortiti sunt, eodem Seculo, a *Thoma Aquinate*, sive Comite de Aquino, Italo, *Alberti M.* discipulo, quem Angelicum Doctorem appellant sui, quod Theologiam Scholasticam & Philo-

Philosophiam Aristotelis XVII. Tomis conscripsisset. *Scotistæ* a *Johanne Duns Scoto*, *Sec. XIV.* natales suos indepti sunt. Fuit hic *Thomæ* discipulus, Ordinis Minorum, Doctor Subtilis salutatus, *Thomæ* tamen non ita in omnibus dogmatibus adversus: a suis pro mortuo elatus, (erat enim Apoplecticus) adeoqve vivus sepultus. *Summulistarum* tandem signifer fuit *Petrus Hispanus*, Cardinalis, *Sec. XIV.* florens, qui Summulas, ceu vocat, dialecticas conscripserat.

20. *Nominales* tandem originem suam traxere a *Guilielmo Occamo*, Anglo, Scoti discipulo, Minorita, qui floruit *Seculo XIV.* a quo sectarii etiam *Occamistæ* dicti sunt. Appellati ita fuere, quod Universalia mera esse nomina, non res, contra Philosophos Reales docerent; seu, ut ait *Aventinus in Annal. Bojorum lib. 6.* quod avari rerum, prodigi nominum atq; notionum, verborum viderentur esse assertores. Tantæ inter duas has sectas ferbuerunt contentiones ac odia, ut non raro a verbis ad verbera, a syllogismis ad saxa deveniretur: id quod Heidelbergæ factum fuisse, ubi contigua habebant collegia, *Aventinus* prodit *loc. cit.* Adeo scilicet tum Philosophiæ miserabilis erat facies, cum homines otio abundantes, nec ingenio destituti, portentosis rixis, & tenebris plusquam Cimmeriis eam involverent: quod vel volumina ævi illius, non mole minus, quam barbarie formidanda ostendunt. Atqve hinc plurimas subinde reperias doctorum Virorũ querelas, justasqve de Scholasticorum horum inutilibus tricis, indignationes, quibus nostras jam implere chartas instituti ac temporis ratio prohibet. Adeat, cui lubet, ea de re maximos Theologos *B. Gerhardum Loc. Theol. XXV. de Ecclesia* §. 228. & in *Confessione Cathol. lib. 1. part. 2. c. 15. Balth. Meisnerum dissert. de antiqua vitiosa Theologice disputandi ratione p. 461. Himmelium de Jure Canon. & Schol. Sect. III. p. 669. seqq.*

21. Nec prætereundus hic est *Raimundus Lullius*, Barci-

none Catalaun⁹ *Johannis Duns Scoti* fere σύγχρονος, cuj⁹ ætas notante *Bellarm. de Script. Eccl. p. 211* incidit in A. C. 1290. Si a sæculis ejus, puta *H. C. Agrippæ, Bonaventuræ Armengual, Jaimo Januario, Bernh. de Lavinheta, Valerio de Valeriis, Joh de Riera, & Petr. Hier. Sanchez*, fides habenda est, talem sua ætate artem inveniſſe dicendus erit, per quam de quovis subjecto quis valeat in partem utramq; differere, nec ullum vincendi locum aliis relinquere, resq; minutas in immensum dilatare. Addit *C. Agrippa in præf. artis Lull.* hujus artis opera *Diagninum Mediatum & Jac. Januarium* homines Italos, tribus mensibus, cum antea vix prima literarum elementa calluiſſent, evaſiſſe admirabiles. Verum quia concamerati illi cancelli, (verba sunt *B. Danhaw. Id. B. Diſp. p. 122*) illæ circulorum triangulorumq; compactæ turbæ (monſtra scilicet, quæ si vidiſſet Hercules, peremiſſet) ad doctrinæ ostentationem potius, quam ad comparandam eruditionem valuerunt, longeq; plus audaciæ, quam efficaciæ habuerunt, (verba sunt ipsiusmet *Corn. Agrippæ lib. de van. scient. c. 9.*) ideo ars illa in herba extincta est. Tam impuris canalibus cum defluere⁹ Philoſophia, *Seculo* tandem *XVI.* limpidioribus decurrere cœpit. Luce enim Evangelii, in Papatu fere extincti, per Megalandrum *Lutherum* accensa, quemadmodum Theologia suis nævis, ita Philoſophia suis sordibus repurgata est. Et *Petrus* quidem *Ramus*, dum sub *Philippo Melanchtone*, communi Germaniæ Præceptore, in Germania purior Philoſophia revireſceret, pertæsus Scholaſticarum tricarum liberius cœpit philoſophari. Ansam ei dederunt Pseudo-Peripatetici Sophiſtæ, Pariſiis alibiqve Scholaſtica barbarie & corruptiſſima Philoſophia, in accensa jam literarum luce, delectati; nec non Interpretes Ariſtotelis pravi ac rudes. Quorum ineptias non patiens, primo in illos, mox in ipsum Ariſtotelem acriter invectus est, & adversariorum calumniis divexatus, longius proceſſit, novamq; sectam de suo nomine, (plurimos

in

in Anglia, Gallia, & ipsa etiam Germania sequaces nactus) condidit. Neqve tamen laudandus est in omnibus, cum & Metaphysicam e Scholis prorsus eliminet; & a lectione Aristotelis abstinere suos jubeat: quod posterius tamen malunt alii non tam de *Ramo*, quam de sectatoribus ejus dici. In eo nihilominus meretur encomium, quod pomœria Philosophorum protulerit, Philosophiam ad usum revocando. Opposuerunt se *Ramo* inprimis *Joach. Perionius*, Lutetiæ; *Jac. Schegkius*, Tubingæ; & *Jacobus Martini*, Wittebergæ; a quibus ttia potissimum ei objecta, ἀμεθοδία, ἀνηλογία & ψευδολογία. Obiit Lut. Paris. A. 1572. Festo Barthol. quo tempore Nuptiæ celebrabantur Parisienses, ab ingratis discipulis occisus, corpore per fenestram ædium in plateam ejecto, visceribus per viam sparsis, & reliquo cadavere articulatim divulso.

22. Mortuo, aut si mavis, occiso *Ramo*, nitidiorem faciem Philosophia in Gallia, Italia, Anglia, Germania, aliisq; Regionibus Europæ accepit. Neq; enim defuerunt decora ingenia, quæ Philosophiæ, jam Scholasticorum tricis deturpatæ, jam *Rami* scoriis infectæ, medicam manum afferrent, eandemq; in majus fastigium elevarent. Ac tametsi hanc ipsam postliminio defœdare contenderet, Vir portentosi ingenii, *Philippus Theophrastus Paracelsus a Bombast, Hohenheimensis*, in ipsa tamen herba, juxta cum dogmatibus ridiculis exspiravit. Quippe intolerabili fastu (docent hunc sesquipedalia illius verba, quibus se *Confœderatorum Eremi Eremitam, Philosophum paradoxum, Mysteriarcham, artium omnium Magistrum, Medicinarum Professorem, Musarum Mechanicarum Trismegistum Germanum* appellat) paucos aut nullos basiatores nactus, cum Anno 1541 denascceretur, exiluit.

23. Atq; ita quidem se habent Incunabula & progressus Philosophiæ, qua Barbaricæ, qua Græcanicæ, quorum ordinem, melioris doctrinæ causa, exhibere poterit Χῆμα sequens:

- Philosophia est vel
  - Barbarica, quæ vel
    - Hebræorum
      - Ante-diluviana, *vid.* §. 3. & 4. *dissert. prior.*
      - Post-diluviana, §. 5. *dissert. ejusd.*
    - Phœnicum, §. 5. 6.
    - Chaldæorum, §. 8.
    - Ægyptiorum, Æthiopum, Indorum, Celtarum, Gallorum, Persarum, §. 9. 10 — 14.
  - Græcanica, quæ vel
    - Italica, cujus autor *Pythagoras*, §. 17.
    - Eleatica, cujus autor *Xenophanes*, §. 18. a qua descendit Epicurea, cujus autor *Epicurus*, §. 19.
    - Jonica, cujus autor *Thales Milesius*, §. 20. unde fluxit
      - Academica, cujus autor *Plato*, §. 21.
      - Cynica, c. a. *Antisthenes*, §. 2. *diss. post.*
      - Stoica, c. a. *Zeno*, §. 7. 8.
      - Pyrrhonica, c. a. *Pyrrho*, §. 9.
      - Peripatetica, c. a. *Aristoteles*, §. 11.

24. Inprimis ferax istud Eruditorum Virorum seculum, Philosophiam in suum florem assertam conspexit. Posteaquam enim detersо credulitatis glaucomate, apertis tandem oculis intueretur, unum *Aristotelis* ingenium arti & naturæ eviscerandæ non sufficisse: junctis viribus consiliisq; (tot oculis plura visurum, quam uno) rem literariam ea quidem dexteritate aggressum est, ut nec putamen pro nucleo obtenderet, nec inepte altercando, veritatem ad dicentis ambitionem detorqueret: sed λόγῳ καὶ πείρᾳ artis ac naturæ mysteria perscruraretur. Quæ philosophandi quidem ratio *Eclectica* (voce nec veteribus ignota) hodie dicitur; Philosophis, qui eam sequuntur, *Eclecticis* ideo dictis, quod vocata ubiq; in consilium ratione, libero ac defecato mentis judicio, (ut qui aliorum effata nec rejiciũt temere, nec promiscue probãt) quẽcunq; Doctorũ, cuicunq; etiam Sectæ addictum, præ cœteris in hoc aut isto genere verius, aut vero similius statuisse, aut circumspectius observasse, aut rectius arguisse pervident, ea demum seligant ac probent, cœteris modeste neglectis, cum in Philosophia non *Quis* dixerit, sed *Quid* dictum sit, attendi debeat. A qua tamen honesta vocis appellatione merito arcendi sunt ii, qui nullo, aut immaturo saltem judicio, varia variorum placita, sæpe adversis frontibus pugnantia, insulse & ex novaturiendi pruritu, ut imperitus coqvus jura solet, confundentes, centones pro Systematis Philosophicis consuunt, *Miscellionum* aut *Quodlibetariorum* potius nomine castigandi: sed illi duntaxat huc referendi, qui gnari, quantum æra lupinis distent, omnia probant, pauca approbant: haut inscite a *Laërtio in præf.* ἀναλογιστικοὶ appellati, tanquam ii, qui res ipsas & rationum pondus expendunt, itemq; φιλαλήθεις h. e. qui veritatem præ docentium oraculis ambiant. Atq; ut de Philosophia Morali, quæ decus suum a magnis illis duumviris, *Grotio* ac *Pufendorfio* (quibus nominatis, nolim alios quoq; sua laude defraudandos) eximie indepta est, nihil jam dicam: tum quidem, quod ad Theoreticam, & in ea nobiliorem ejus partem, Physicam scilicet, attinet, prostat omnino elegans *Eclecticorum* hujusmodi messis, qui eam omni studio hactenus erexere. Quippe præter Regias ac Illustres Societates in Anglia, Gallia, & Aula Florentina; præter Academias Curiosas in Germania, Romæ, Venetiis, alibiq; institutas; effert merito Britannia suos *Verulamios, Boyleos, Digbæos, Hookios, Wrenios, Lovveros, Moros*; Italia *Malpighios, Campanos, Casinos, Montanarios, Lanas*; Gallia *Gassendos, Hamelios, Fabros, Auzoutos, Petitos*; Dania *Bartholinos, Borrichios*; Germania genitos ex se *Kircheros, Schottos, Hevelios, Gverickios, Sperlingios, Sachsios, Morhosios, Majores, Weigelios, Kirchmajeros, Wardigios, Reyheros, Sturmios*, & quos non? Neq; præterenndo hic est R. CARTESIUS, lepido anagrammate SECTARIUS dictus, quem Hagæ Turonum pridie Calend. April. A. 1596 natum, & A. 1650 Calend. Februar. Holmiæ Svecorum denatum legimus. Magnam ille quidem Naturæ lucem accendit, dum eam ad leges Geometricas revocaret, & ex situ, motu ac dispositione partium (quarum alias jam primi, jam secundi, jam tertii elementi dicebat) de formis rerum philosopharetur: in multis tamen non leviter lapsus est. Mitto asserta, quibus jam formas omnes, præter humanam, substantiales destructum ibat; jam Intellectum in glandula pineali locabat; jam de motu musculorum *Sylvio* ac *Lovvero* suspecta, imo Anatomiæ experimentis contraria statuebat: certe limam, ne quid gravius dicam, promeritus est, quod in *Meditationibus* suis passim, de Existentia Dei dubitaret, imo dubitationem hujusmodi pro principio monstrosæ philosophiæ obverteret. Sed de ea re pluribus actum in Meletemate peculiari, cui titulus, *R. des-Cartes modus demonstrandi Existentiam Dei per* IDEAM, quod Wittebergæ A. 1679. sub Præsidio meo defendit b.m. Dn. *Ephraim Kerstens/ Ecclesiastes Gedanensis ad D. Corp. Christi.* Nunc vela contraho, humili mente ac calamo adscribens

vid. disp. 4. sequentem.

SOLI DEO GLORIAM.

GRatulor egregiis ausis, Dilecte *Calixti*,
Dum scandis nostræ pulpita docta Scholæ.
Qui semper fueras solers, pius atqve modestus,
Sis porrò, & meritas fer pietatis opes.
Sint Mæcenates, Fautores sintqve Patroni,
Auxilio qui Te consilioqve juvent.
Ut valeas gratam Studiorum tangere metam,
Et Patriæ valeas commoda ferre tuæ.

f. t.
Paulus Hofmann D.

Ad Ornatissimum Respondentem.

QUo se jam Græcus, jam Barbarus efferat ortu
Progressuqve Sophus, chare CALIXTE, *studes:*
Ut tibi progressus studiorum perbene cedant,
Surgat & e studiis messis opima, precor.

Modestiæ ac diligentiæ tuæ
bene cupiens
M. Johannes Sartorius.

PUblica delectat Te lux, mea vita, *Calixti*,
Publica dum prima luce theatra subis,
Hinc pede non claudo Te publica fama sequatur,
Buccina sit laudis Patria clara tuæ,
Sit σοφίας multæ festinatissimus haustus,
Sit scyphus ipse Plato, sit Stagirita calix.

His Suum nobilitare festinanter
voluit
Johannes Böhm Passenh. Pruss.

DVm se bonorum dogmatum præstantior
Diffundit in Te copia,
Id dat Tibi negotii, quo candide
Ac erudite differas
Quod sit Sophi primordium, quis deniqve
Progressus utilissimus,

Et

Es dignus idcirco rotis præconii
Vt evehatis fervidis,
Quas invenire prosperam citissime
Metam, scopumque, comprecor.

Prolixo in lectissimum Sympatriotam affectu impulsus,
hæc adjicere voluit

Augustinus Lazari, Leuchoviens. Hung.

MARTINUS.

Anagramma:

INTRAMUS.

I*Ntramus* per Te, ad pugnam, MARTINE vocati,
Limina, quæ implevit concio clara virûm.
Ne vero in miserum fias crudelis Amice,
Qua prece Te possum, svavis Amice, rogo.

CALIXTUS.

Anagramma:

LUX CASTI.

L*Ux* mea, Delicium, Thesaurus, Vita, CALIXTE,
Cujus præ reliquis est mihi cara salus.
Te *casti* oblectant discursus; Hinc Tua clara
Semper plus volitat Fama per ora Virûm.

MARTINUS CALIXTUS.

Anagramma:

CUR LUX SIT AMANTIS?

Ad Lectorem:

QUæris *cur* mea *sit Lux*, Cor & Vita CALIXTUS?
Namqve animum totum solus *amantis* habet.

Respondenti Humanissimo, Amico & Conterraneo perquam dilecto scr.

Johannes Glosius, Hung.

MARTINUS CALIXTI.

Anagramma: (x in es.)

MULTI CARI SANCTIS.

QUotquot laudatæ Pietatis amore tenentur,
Cari sunt *Sanctis* omnibus, atqve Deo.
Ast ubi nunc Pietas? *Multi* Pietate relicta,
Semina, quæ spargunt, Impietatis amant.
Sed sit non nemo latro, prædo, impius aut fur,
Tu, ut semper fueras, esto, CALIXTE, pius.

Sic cecinit Amico suo Pyladeo

Tobias Joni, Leibicensis Hung.